



Kern/3496 (1-9)

553

2

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA  
DE  
CRANII TREPANATIONE

QUAM  
EX CONSENSU FACULTATIS MEDICAE

P R A E S I D E  
VIRO ILLUSTRIS AC EXCELLENTISSIMO  
D. PH. FR. TH. MECKEL.

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS A CONSILIIS INTIMIS  
PROFESSORE MEDICINAE PUBLICO ORDINARIO  
ET  
INSTITUTIS CLINICI CHIRURGICI DIRECTORE.

P R O  
GRADU DOCTORIS  
IN  
MEDICINA ET CHIRURGIA  
RITE CONSEQUENDO

DIE XXI. SEPT. MDCCXCIX.

PUBLICE DEFENDET  
CHRISTIANUS FRIDERICUS RICHTER  
UCAROMARCHICUS.

---

HALAE,  
TYPIS C. G. H. CRAMERI.

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICAE

CRANII ET ANATOMIE

EX UNIVERSITATE FACULTATIS MEDICAE

VIRO ILLUSTRI AC HONORABILISSIMO

D. PHL. FR. TH. MEYER

ORDINARIO PRAECEPTORI ANATOMIAE ET CHIRURGIAE  
AC ACADEMICI REGII

INSTITUTI CIVILIS CHIRURGICI HALLENSIS

GRADU DOCTORIS

PHYSICAE ET ANATOMIAE

INSTITUTI

PHYSICAE ET ANATOMIAE

PHYSICAE ET ANATOMIAE

PHYSICAE ET ANATOMIAE



VIRO

EXCELLENTISSIMO ET CLARISSIMO

CHRISTIANO LUDOVICO  
MURSIINA,

MED. ET CHIRURG. DOCTORI,  
CHIRURGO GENEKALI EXERCITUUM  
BORUSSICORUM  
PROF. PRIM. COLLEGII MEDICO-CHIRURGICI,  
CHIRURGO PRIMARIO LEGIONIS  
MOELLENDORFIANAE  
ETC.

UT ET

A



VOL. 1

UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

CHRISTIAN LUDWIG

WOLFF

OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

OF THE UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

1771



V I R O

EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

WILHELMO SAMUELI  
REHFELDT,

MEDICINAE DOCTORI.

PHYSICO UCAROMARCHIAE PROVINCIALE

NEC NON

URBIS ET COLONIAE PRIMIS LAVIENSIS

VIRIS DE SE MERITISSIMIS AETERNUMQUE  
COLENDIS,

HANC OPELLAM LEVIDENSEM

D. D. D.

A U C T O R .

1710

UNIVERSITY OF CAMBRIDGE

WILLIAM SAMUEL

RECTOR

OF THE UNIVERSITY

OF CAMBRIDGE

1710

THE UNIVERSITY

OF CAMBRIDGE

1710





---

DE  
CRANII TREPANATIONE,

---

§ I.

Suprema corporis nostri pars, quam caput dicimus, maximum sane ad Physiologiam, Pathologiam et Chirurgiam practicam habet momentum, ideo, quod organon omnium praestantissimum ex reliquisque primum sibi locum vindicans, includit, cerebrum, et a nonnullis organon animae dictum. In isto cerebro, quasi centrum, est quarumvis impressionum per sensus factarum et repraesentativae pariter et rationalis facultatis habitaculum. Cum autem tanta sit hujus partis, cerebri scilicet, praestantia, quanta sit ejus dignitas, et quantum in cognoscendis ejusdem affectibus studium fit adhibendum, pa-

tet abunde. Locus, quem cerebrum in corpore humano occupat, situ est altissimo, eaque propter quamplurimis patens periculis; interea tamen natura illud contra externam vim sapienter munivit, quod jam ob supremam ejus dignitatem, vel a priori, ut ita dicam, colligi potest. Praeter proprias membranas, et integumenta totius corporis generalia, vallo quodam ex fortissimis tenacissimisque totius offei systematis partibus facto, defenditur, quibus cerebrum, tanquam capsula clausum jacet, quae cranium dicitur. Hanc quidem capsulam ictus pulsusque haud facile penetrat, quippe quam violentia satis magna rumpere, flectere, comprimere, ejusque futuras dissolvere tantum valet. Qui quanta sit rationis, imaginationis, vitaeque dignitas, probe novit; facile etiam quae huic offi laeso debeat attentio, intelligit: laesiones enim ejusdem vitam, sanitatemque in summum ducunt periculum et miserum aegrotum unica illa, quae a bruto animali differt, praestantia privant; melaque omnem superantia ideam longoque aevo durantia, postremoque, vita miserrime transacta, horrendam mortem ferentia, parant.

## §. 2.

Ipsum illud periculum, illa calamitas, jam per se cuius: hominum lacrimas movet: quomodo igitur medicus vel chirurgus, unicus ille, qui mi-

ferum ab interitu vindicare potest, ista vulnera temere contemplabitur? Sunt certe illa summi momenti, et medici attentionem subitumque postulant auxilium, et strenuam opem. Ut autem humanam illam opem subita, secunda, grataque, quantum quidem fieri potest, ratione exsequatur; sedulus inquirere effectus cujusvis externae violentiae in cranium, et quae ejus pars, quaque haec ratio laesa sit, accurate determinare debet; praeterea et nosse remedia pro sanando malo, et scire exactius, quando, ubi, et quomodo illa sint adhibenda. Saepius enim laesio vix ulla attentione digna visa est, quam tamen neglectam, cachexiae deliria et interitus ipse secuta sunt: haud raro aeger omni periculo ereptus creditur, immo sanatus, cujus erroris sequelae longe tristissimae sero apparent. Quot miseri ostiatim mendicantes vel nosodochiis inclusi, ignorantiam Chirurgorum Balneatorumque intractandis hisce casibus acculant? Haec omnia Medicum quemvis, humanis rebus humaniter consulentem ad notitiam harum laesionum earumque curationem rationalem fortissime excitare debent.

## §. 3.

Morbi capitis chirurgicam opem postulantes, ut varii sunt, ita ratione loci valde inter se differunt: laeduntur enim vel sola integumenta externa

vel cranium vel meninges proprie ita dictae, vel cerebrum ipsum: ratione periculi laesio est vel gravior, vell levior: ratione causarum externarum harumque naturae sunt vel fissurae vel fracturae ossium, vel contrafracturae, vel depressiones, contusiones, concussiones, sugillationes, exfoliationes, extravasata, herniae, suppurationes, etc.

## §. 4.

Quilibet horum casuum magni est momenti, opemque strenuam postulat, cujus tamen rationes seu remedia, valde differunt, neque istis promiscue utendum est. Ne vero justo diffusior fiam, haec, utpote quae, non omnia meo scopo inserviunt, praetereo, de una tantum operatione acturus, quae sine omni controversia plurimis casibus allegatis gravissimum maximeque securum affert remedium, de Trepanatione scilicet, cujus applicationis ratio propriam dexteritatem Medici et exercitium postulat.

Est autem Trepanatio Operatio Chirurgica, qua instrumenti peculiaris ope, terebram cum serra, circulari referentis, pars quaedam ossium, et hic quidem cranii, eripitur. Haec operatio ad sequentes praecipue fines obtinendos locum habet.

1.) ut humores omnis generis sub cranio praeternaturaliter congesti, et stagnantes educantur.

2) ut partes ossæ corruptæ vel festucae eliminentur.

3) ut depressiones ossium tollantur, particulae ossæ aliis suppositæ, leventur, vel etiã ut contrariæ aperturæ ope, elevatorii auxilio, in justum naturalemque situm restituantur.

Per se quidem hæc operatio periculo vacat; attamen accessoria illam difficilem ancipitemque sæpe reddunt: hinc et applicatio ejusdem haud raro, vel plane cessat, vel restringitur; prudensque Chirurgus bene noverit necesse est circumstantias, quibus ea vel indicetur vel contraindicetur: hoc enim si ignorat, ubi prodesse studet, nocebit.

#### §. 5.

Generatim utique determinari nequit, qua quidem natura violentiæ externæ Trepanationis applicatio fiat necessaria, vel applicabilis, cum dispositio corporis læsi effectum causarum externarum in corpus ipsum determinet. Ita enim eandem causam violentam externam, ad varia subjecta applicatam, diversissimæ sequelæ comitabuntur, quæ in hoc homine trepanationem requirant, in illo autem eandem vel supervacuum, vel noxiam, immo lethalem reddant. Notitia corporis naturæ, et ingenii sagacitas Chirurgus sola poterit monstrare viam: nam apparens aliqua similitudo symptomatum eum nul-

lo modo ducere debet, quippe quae idiopathica ab accidentalibus probe sunt discernenda, nullum ex illis negligendum, et quodlibet eorum iuste dijudicandum. Sed ne hoc quidem fecisse sufficit. Nam et strenue iudicet, promptumque consilium capiat, cum dubitatio et mora saepe omnia turbent, et opem adhuc utilem futuram, suo effectu frustrent. Verum et haec regula non est sine suis exceptionibus; saepe enim mali complicationes Chirurgum post plures demum dies, hebdomades, immo menses ad suscipiendam illam operationem adducunt.

## §. 6.

Cum vero causae similes in variis corporibus creberrimae etiam similes cieant effectus, exinde etiam certo modo regulae abstrahi possunt, rationem procedendi generatim determinantes. Igitur aequum, immo necessarium est, ut, ceu in omni alio morbo, causam remotam intueamur, ex qua laesio capitis prodiit. Corpora illa mechanica caput impetu suo laedentia, vel obtusa sunt, vel acuta, quae iterum sunt vel cuspidata, vel secantia: hinc et vulnera capitis, pro generali vulnerum divisione, distribuuntur in puncta, secta, ictu inflicta, contusa. Generatim hae laesiones in certis casibus sibi invicem sunt similes, et differunt tantum ratione violentiae, quae fuit illata, et

locorum, quibus acciderunt. Hinc et symptomata ab ipsis producta differunt, e. c.

1) Si corpus cuspidatum cutem tantummodo laesit, tumor subsequens tantummodo erit erepilatofus, latus, interdum partem faciei occupans, doloresque momenti minoris producens.

2) Si vero ipsa galea capitis aponeurotica laesa est, tumor evadit planior, dolorificus magis, et tensio major, nec facile prementi digito cedens.

3) Ipso autem pericranio laeso, tumor quidem est extensionis haud ita magnae, at durus, tensus, et dolorificus. Oriuntur dolores admodum violenti capitis, febresque cum lethargo et delirio interdum conjunctae.

4) Musculo temporali laeso prodeunt inflammationes graviores, et dolores, quin et deliria, interdumque trismus.

In omnibus his casibus ridiculum foret Trepanatione uti. Occurritur enim malo ratione antiphlogistica, interdum venaesectionibus, evacuationibus, antiphlogisticis mitioribus ex salibus mediis, Manna, Pulpa tamarindorum, Cassia, et similibus; fomentationibus frigidis ex Aceto, Sale Ammoniaco, Spiritu Vitrioli et aliis: in muscoli temporalis laesione cumprimis commendantur aequales incisiones in crucis formam factae, sicut et in pericranio vulnerato, antequam ad alia remedia procedatur.

Instrumenta cuspidata majori vi adacta per ossa ipsa penetrasse, et cerebrum ipsum petiisse possunt; hinc et orientia symptomata multo sunt graviora in Diagnosti, quoniam ejusmodi vulnera contrahere sese solent, neque instrumento exploratorio seu specillo patent. Insuper et crassitudo cranii in quovis fere individuo diversa, non patitur, ut secure determinemus, quam profunde instrumentum penetraverit. Igitur hoc casu si fieri potest, laedens instrumentum inquiratur, conferatur cum vulnere, cujus profunditas exinde colligatur. Interdum extensione pericranii symptomata existunt, symptomatibus cerebri laesi haud absimilia, et quae innotescunt cranio nudato: nam tunc statim cessare solent. Si enim hoc non fit, etsi symptomata illa etiam post hanc operationem perdurant, ratio eorum latet sub pericranio, neque Trepanatio vitari poterit. Pro experientia constanti vulnera caesa integumentorum communium minus periculi habent, et facile, nisi forte symptomata alia mala accedant, per reunionem tolluntur: ne ipsis quidem illis casibus exceptis, ubi vulnus ex transverso caesum laciniam fecit: hoc senim si modo rite componitur, facile vulnus sanatur. Ubi vero pars integumentorum externorum aut sola, aut cum frusto ossis decisa est, vulnus ipsum non nisi cum amissu substantiae ipsius sanabitur, quia pars soluta nutriri ulterius nequit. Frustra ossium



prorsus decisa obligantur sicca ligatura, ita ut ab accessu aëris externi secura praestentur.

## §. 7.

Instrumenta majori violentia applicata, et contundentia vulnera efficiunt graviora, cum non solum partes molliores, verum et ipsa cranii ossa, ruptis simul vel non ruptis tegumentis, laedi possunt. Contusiones vero a minori quadam vi procedentes haud raro leni pressione interneque datis resolventibus ac antiphlogisticis discutiantur. Si vero optatus intra priores dies non respondeat effectus, suppuratio promovenda et adjuvanda est. Ubi e contrario extravasatio sanguinis ex symptomatibus colligitur, sive super pericranium, sive sub eodem; aequales etiam incisiones adhibeantur, tum ut stagnans educatur sanguis, tum ut los a corruptione servetur, quo casu vulnus ipsum suppuratione juvandum est. Vulnera in contusionibus obvia sunt dilatanda, caro corrupta tollenda et inflammationi, aequae ac feбри, indicatis remediis resistendum.

De curatione ossis nudati quidem, sed integri ac illaesi ea valent, quae supra diximus; laesum vero os terebrandum et adjuvanda exfoliatio est.

## §. 8.

Secundum observationes Medicorum extravasata super cranium vel sub eo sine visibili laesio.

ne capitis concussionum ex aliis locis originem trahentium effectus esse possunt; e. c. per casum in posteriora, per lapsum mollioris oneris, e. c. facci lana repleti in caput. Tale malum si Chirurgo occurrit, suadendum est, ut cranium statim denu-  
detur, et extravasatum educatur: si vero malum sit sub cranio, ad Trepanationem procedendum est.

In quavis ceterum laesione capitis graviori, jubemur capillos omnes cultro rasorio auferre, ut in-  
quisitio ejus et inspectio alias difficilis, reddatur fa-  
cilis, utque indicata remedia propius ad partem  
patientem applicentur, quo facto eorum efficacia  
adaugeatur. Inprimis vero id ibi observabitur,  
ubi laesiones ossium reperiuntur, quoniam hae  
Chirurgo inprimis magni momenti esse debent,  
quum earum sequelae aegroti periculi plenissimae  
fieri possint. Nam haud raro, vel potius communif-  
sime maligni ipsarum effectus in ipsum cerebrum  
prodeunt, ruptis in hoc vasis, vel nervis ibidem  
compressis: quam ob rem per pressionem et irrita-  
tionem inflammatio, suppuratio, immo et sphacelus  
oriri potest. Igitur ossa statim nudentur, quando  
post ullam externam vim in caput activam sympto-  
mata mala exoriuntur, ut res ejusque ratio accu-  
rate pernoscat.

## §. 9.

Cranii laesiones, uti jam supra, quasi in transitu, monuimus, sunt fissurae, fracturae, contrafracturae, vel depressiones, vel diploë est compressa vel perrupta: quo facto non solum ipsius caries, verum et aliae periculosae sequelae prodire possunt, cum illa vasis per ipsam cerebri substantiam sparsis arctissime ipsi cerebro annexa sit.

## §. 10.

Fissuram dico ossis rimam, quae vel in tabula superiori adest, vel etiam ad inferiorem usque penetrat. Ibi partes balsamicis pharmacis deligentur, hic vero Trepanatio adhibeatur. Cum autem propter vasa arctissime composita casus ipse difficillime saepius dignoscitur, consultum est, ut superficies ejusdem atra quadam tinctura illinitur, deinde aqua clara lavetur; quo facto, praesens fissura facilius cognoscatur: nam fluidum atrum in rimam penetrans atrorem servat, ipsamque clarius monstrat.

## §. 11.

Fracturae cranii, vel in externa ejusdem tabula similiter tantum cernitur, vel etiam inferio-

rem infestat. Quia vero in altero casu externae laesionis nullum vestigium, sed modo symptomata laesi cerebri adsunt, difficillima est diagnosi. Ut vero hanc faciliorem reddamus, varia produntur artificia, quorum tamen utilitas ipsa experientia nondum est comprobata. Ita exempli causa, jubemur ori aegrorum filum indere, quod mordent, illudque percutere, vel facere ut chalybem dentibus premant: hoc modo laesum locum iri observatum. At quum aeger ita laesus soleat in statu prorsus insensibili esse, omnique sui conscientia carere, consilium illud applicari vix posse, facile patet. Sic quoque haemorrhagia narium et aurium ad istam non sufficit diagnosin, quia his locis vas sine ulla ossium fractura ruptum esse potest. Alia symptomata quoque, vertigo, absentia mentis et similia a nuda concussionem prodire, nullaue signa diagnostica dare poterunt.

Securius vero praesentia fracti ossis cernitur per frictionem modicam et pressionem capitis, quibus aegrum haud raro ad monstrandos dolores adigimus, qui tacto loco laeso, manum invitum quasi illuc movet, vel clamorem edit. Ubi hoc vel alio modo verosimilem praesentiam locumque fracturae detexeris, ipse locus statim aperiatur, et, si opus est, Trepanum applicetur.

## §. 12.

Accidit interdum, ut fissa tantummodo tabula interiori vel etiam fracta, nullum visibile signum laesionis detegi possit. Quo casu symptomata sola a pressione cerebri, cum primis si haec subito a causa externa prodeunt, Chirurgi viam, quam sequatur, demonstrant: nam symptomata similia, quorum causa extravasatum est, serius prodire solent, et potius sensim sensimque. Ubi praecipue, facta demum laesione, pericranium secedit et os ipsum coloris est praeternaturalis, fractura tabulae interioris inde colligi potest.

## §. 13.

Contrafissuras eas dicimus laesiones, quibus illa ossis pars, in quam violentia immediate egit, manet illaesa, et prorsus resistit, sed ubi in alio loco interdum opposito et debiliori per vim propagatam fissura accidit. Quod quidem genus laesionum ex omnibus reliquis forsitan diagnoseo est difficillimae, quum ex symptomatibus inde productis tantummodo suspiciari illud possimus, quando jam Trepani auxilium iusto serius adhibeatur. Quam ob rem semper ad possibilitatem hujus casus respiciendum est, totumque caput accurate examinandum: nam forsitan tumorem minorem vel ruborem

observare, vel tactu aliquid detegere valeas, quod si est, statim Trepano utaris.

## §. 14.

Quando in depressione frustra ossium plane sunt soluta, ope elevatorii vel similis instrumenti ea sunt educenda. In quadam quoque distantia trepani corona unam vel plures applicari utile erit, ut facta apertura, vectis adhiberi possit. Saepe quoque contingit, ut applicato Tirefont depressionem tollamus, cerebrumque a pressione liberemus. Utilissimum quoque forsitan esset, b. Thedenii consilium, locum scilicet inareturatum tam diu frusto vitreo scalpendi, donec laminas ossis forcice dissecare vel nullo negotio rumpere valeas, quod in primis in infantibus fieri solet, quorum ossa adeo tenuia sunt, ut non nisi cum summa cautione Trepanum applicari possit.

## §. 15.

Ab his capitis laesionibus effectus in cerebrum, et ab his iterum sequelae generatim dependent. Effectus vero sunt:

- a) Pressio,
- b) Irritatio,
- c) Irritatio et pressio simul: sequelae autem inflammatio, suppuratio et similia

Symptomatibus a pressione ortis annumerantur paralyfes, vertigo, fomnolentia, absentia sensuum, pulsus durus lentusque, respiratio anxia et difficilis, facies rubra tumens, oculi torvi, etc.

Si haec symptomata statim prodeunt, pressum os; si serius, aliquid extravasatum indicant. His in casibus vero venaesectiones fortiores repetantur, et clismata irritantia dentur. Si aeger deglutire potest, purgantia lenia antiphlogistica exhibeantur ex salibus mediis, Manna, Pulpa tamarindorum, fomentationes frigidae ex aqua gelida, glacie, sale ammoniaco, acetoque capiti imponantur. Quodsi autem symptomata his adhibitis non cessant, trepanum non est morandum.

§. 16.

Symptomata concussionis laesionem statim sequuntur. Aeger enim omnem sensum amittit, voluntarioque motu destituitur; pulsus parvus mollis et celer, respiratio debilis fit, facies pallescit, et in majori commotionis gradu in aegro vix vestigia vitae cernuntur.

Curatio concussionis cerebri a Chirurgis haud eadem ratione absolvitur, et sunt qui inepto procedendi modo utuntur. Qui docent, hunc morbum ut nervosum malum esse tractandum, a scopo aberrare non videntur; sicuti et remedia ab Ill. Mursinna commendata omnem attentionem merentur, pro Summi Viri consilio autem, ad excitandum systema nervosum, clismata irritantia applicantur, ut et vesicatoria in capite, et nucha ponuntur, ita tamen ne vesicas trahant, ac tantummodo irritamenta cieant. Quodsi aeger potest adhuc deglutire, praebetur solutio Tart. emetici, deinde minores opii doses, vel pulvis anodinus Doveri, postremo autem Cortex cum serpentaria, vino, nervinisque similibus. Nam neque hic Trepanationi locus est.

## §. 17.

Symptomata inflammationis sunt febris, pulsus durus, facies rubicunda, tumida, oculi conditionis ejusdem, iniquies, et ipsa deliria. Cunctis hisce symptomatibus, fomentationibus gelidis, generalibus ac topicis venaectionibus, et uno verbo ut dicam, methodo antiphlogistica est obviam eundum. Symptomatibus febreque continua per haec remedia cessantibus, saepe oritur horripilatio,



pulsus fit parvus et mollis, vel alia accedunt a pressione hancque sequente suppuratione pendencia, ubi trepani applicatio neququam est retardanda.

Ex his, quae breviter proposuimus, facile est videre, quantum cujusvis capitis vulneris speciei etiam levioris, examinis momentum fit, et quam generatim trepanatio dignitatem habeat, perspicere.

## §. 18.

Denique in qualibet congestione, vel stagnatione humorum, sive illa ab externis, sive ab internis existat causis, in festucis ossium, cerebrum irritantibus, in carie, tophisque ossium et cranii, cerebri functiones per pressionem et irritationem turbantibus, in contusionibus diploës, et forsan aliquando etiam in chronicis et topicis cephalalgïis, quarum causae nequeunt detegi, trepanationi locus est. Omnibus ac singulis his casibus, perfecta diagnosi, ad operationem ipsam citissime est proponendum; mora enim et vitam aegri periculo exponit, ipsamque operationem reddit inutilem.

Chirurgus autem trepanum versurus, aegrotum in sella, quantum fieri potest, immobili colloctet, convexoque scalpello incisionem in crucis formam faciat, pollice et indice manus sinistrae eutem intendens; figat cultrum suum pressissime sub pollice, ita ut periosteum profundius, quam cutis exterior disseccetur, ad tensionem facile orituram evitandam eodemque modo ab altero latere incisionem faciat. (Quondam quidem modo simpliciter longam, modo luniformem incisionem, modo talem quae vel T vel V referret, faciebant; vel locum ossis cute prorsus nudabant, ut ita exfolationem ejus secure promoverent.) Quo facto periosteum proprio cul-tello denudet, locumque corona trepani designet, in ejusque medio trepanum perforatorium ponat, quo terebret fixumque punctum constituat. Nunc trepano, cui cylindrica corona cum pyramide annexa est, a manu dextra ad sinistram, et quidem ab initio ductibus circularibus ad diploën usque perforet celeriter, post hac vero lentius et cautius. Eo usque se venisse Chirurgus intelliget ex scobibus offeis sanguinolentis. Solutum ossis frustum saepe una cum trepani corona exit, at si remanet, tirefonte vel vecte educatur. Margo acutus ossis

cultello lenticulari mitigetur, inquiraturque an extravasatum fuerit sub dura matre nec ne. Ibi haec membrana dissecetur in formam crucis, et extravasatum eliminetur; aperturae ipsi complicata lin-teola filo annexa imponuntur optime, ita ut, pro-pendente hoc, facile educi possint, neque cranio ipsi subeant, ibique irrationes moveant. His effectis, labia vulneris, quantum fieri potest contracta, emplastro conglutinante figantur, noxiusque aëris externi accessus caveatur. His super imponatur splenium majus et complicatum madefactum humore inflammationi contrario: omnia denique ligatura artificiosa, quam Galli petit Couvre chef vocant, vel simplici capitio firmentur. Illud enim ligamen, quod olim nomine Grand Couvre chef innotuerat, hodie ob difficultates suas non amplius est in usu. His peractis aeger lecto imponatur, ut trepani vul-nus aliquantum dependeat, quo adhuc restans ex-travasatum facilius abeat. Diaeta aegroti ac cir-cumstantiis est dijudicanda; convenit tamen ab ini-tio antiphlogistica methodus in omni ambitu suo. Postea vero aeger sensim sensimque ad solitum vi-tae victusque genus redeat, quibus servatis vulnus offis feliciter sanatur: attamen ad id praestandum natura octo, interdum duodecim, postulat septima-nas.

Praeter cranium etiam in aliis vere cariosis ossibus, frequentissime vero in sterno trepanum adhibent, vel ad particulas ossium emortuas tollendas vel ad pus et alia fluida pone ossa stagnantis educenda.

---

---

## THESES.

---

### I.

In febre inflammatoria sunt sine dubio tunicae  
vasorum semper fere inflammatae.

### II.

Infectio venerea tam per coitum quam per  
alias vias fieri, et eo modo ulcera fau-  
efficere potest.

### III.

In operatione castrationis ea methodus est  
praeferenda, qua funiculus spermaticus  
totus ligatur.

IV.

Resolutio bubonum semper fere suppurationi  
est praefenda.

V.

Uterus femineus habet et fibras musculares,  
et structuram vasculosam.

VI.

Oxygenium fortasse olim substitutum mercurii  
erit.

---

1018  
PICA







IV.

Materine mortuae vires haud subordinatae sunt viri-  
bus vitalibus.

V.

2

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA  
DE  
CRANII TREPANATIONE  
QUAM  
EX CONSENSU FACULTATIS MEDICAE

PRAESIDE  
VIRO ILLUSTRIS AC EXCELLENTISSIMO  
D. PH. FR. TH. MECKEL.

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS A CONSILII INTIMIS  
PROFESSORE MEDICINAE PUBLICO ORDINARIO  
ET  
INSTITUTIS CLINICI CHIRURGICI DIRECTORE.

PRO  
GRADU DOCTORIS  
IN  
MEDICINA ET CHIRURGIA  
RITE CONSEQUENDO

DIE XXI. SEPT. MDCCXCIX.

PUBLICAE DEFENDET  
CHRISTIANUS FRIDERICUS RICHTER  
UCAROMARCHICUS.

HALAE,  
TYPIS C. G. H. CRAMERI.

